Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 203
Quelle:
Copyright:

Damiani ex O. S. B. Cardinalis et Ep. *Oſtienſis* Scriptoris Sec. XI. ad Concilium *Auguſtanum*, ſive *Augsburgenſe* celebratum a. 1062. pro *Alexandro* II. Pont. contra *Cadolaum* Antipapam, cui favebat *Agnes Aquitannica Henrici* IV. Imp. tunc pueri mater, quod Concilium Exteri, ut ſolent nomina noſtra deformare, *Osborienſe*, *Osboritanum*, *du Château d' Osbor* adpellant, Codice noſtro illud minus ſaltem corrupte *Hosborgenſe* dicente. Extat *Opp. Petri Dam.* Edit. *Pariſ.* 1664. T. III. Quartum inter *Opuſcula p. 21.* f. item T. II. *Monarch. S. R. J. Goldaſti p.* 45. et in *Harzhemii Concill. Germ. T. III. p. 128.* Momentum diſceptationis in eo verſatur, utrum quis non petito Imperatoris aſſenſu Pontifex Rom. eligi poſſit. Itaque dialogo agitur, Advocato Regis herbam demum porrigente. Verba, quae in Editis ſcenam aperiunt: *Sed ad haec gloriaris et jactas* non habet Codex, ſed incipit: *Rex me et imperatrix mater elegit, ad hunc apicem me regia celſitudo prouexit*, quae *Cadolai* ſunt. Ceterum lectio cum editis conſpirat.

III. *fol.* 14. p. 2. *Sancto caſinenſi monaſterio de quibusdam miraculis.* Eſt ejusdem *Petri Dam. Opuſculum* XXXIV. T. III. p. 256. inſcriptum: *Domno Deſiderio archangelo monachorum ac ceteris ſanctis fratribus.* Diſtributio in IX. *Capita* recentior eſt Codice, qui cenſet XVI. Cetera conſonant.

IV. *fol.* 18. *Quomodo rationalis anima ad perfectionem ueniat. Quomodo etiam ſpirituale ſabbatum colat.* Eſt *Epiſtola* in Edit. T. I. *Lib.* 1. *Quinta* p. 27. ibi inſcripta *Gemino Sedis Apoſtolicae Hildebrando;* nobis vero *Alfano archiepiſcopo et abbati deſiderio.* Meminit *Petrus Alphani* Archiep. *Salernitani Lib. 8. ep. 5.* Initium: *Vulgare eſt, Dilectiſſimi. quia locupletes* &c. Decurrit cum editis usque ad verba circa finem: *ſuſpecta ſemper et uaga. curioſa. anxia*, poſt quae in diverſum ita abit: *compellitur. ut ad locum unde remigare ceperat iterum relabatur* &c. definitque in allegoriam navigationis et profectus Animae, e qua patet, Librarium ex uno *Petri* Opuſculo incurriſſe in aliud, quod ſequitur.

V. *fol.* 20. *De Bono religioſi Status, et variarum Animantium Tropologia.* Ita inſcribitur edit. *ſuprac.* T. III. p. 350. Opuſculum LII. quod in noſtro *Codice* ἀκέφαλον a verbis mox citatis: *compellitur, ut ad locum* &c. incipit. Sunt haec verba Cap. XII. *De Sarra ſive Serra* piſce, atque ab iis Tractatio inoffenſo pede, quamvis in alias diviſa rubricas, decurrit usque ad finem: *virtus ac potentia creatoris.* Similis argumenti ſunt Libri III. *de Beſtiis* inter *Hugonis Victorini* Opera, et *Theobaldi* cujusdam *Phyſiologus* metricus *de Naturis Animalium*, quae omnia poſt *Epiphanium.*

VI. *fol.* 27. *Archangelo monachorum Deſiderio* &c. *Non ignorare te patior* &c. Eſt edit. *ſuprac.* T. III. p. 251. Opuſculum XXXIII. ibi inſcriptum *de Bono Suffragio-*